

posita, sive non : sicut quantitas est dispositio necessaria ad triangulum et albedinem; qua sublata, non potest esse hoc vel illud; unde est necessaria ad hoc quod sint; sed tamen, posita superficie, non propter hoc ista ponuntur, sed forte eorum opposita. Et talis dispositio necessitatis ad gratiam non est character: cum non sit immediatum subjectum gratiae; et cum gratia sit in Christo, et angelis, et in multis viris sanctis catechumenis, et veteris testamenti, in quibus nullus character est; nam talis dispositio ad gratiam non est substantia intellectualis, quae sola susceptiva est gratiae et sua privationis. Secundo modo, dicitur dispositio necessaria, non sine qua esse non possit illud ad quod disponit, sed, qua posita, necessario ponitur illud ad quod disponit. Et hoc dupliciter. Vel simpliciter: sicut alteratio completa, est dispositio necessaria ad generationem et corruptionem; sine qua posset Deus corrumpere et generare; sed, illa posita, necessario sequitur generatio et corruptio. Vel ex suppositione: sicut diaphaneitas respectu lucis, ut dictum est. Tertio modo, dicitur dispositio necessaria utroque modo: sicut est subiectum respectu proprie passionis; quae inest soli, et omni, et semper; quia, illo posito, necessario ponitur propria passio, et, illo sublato, corrumpitur. Character autem incidit in secundum membrum secundi meibri; quia est dispositio necessaria sicut diaphanum, ut dictum est. — Vel dicendum quod duplex est dispositio ad gratiam. Una per se, ut motus liberi arbitrii in Deum; et hanc supplet character. Alia per accidens, sicut motus in peccatum, si habet peccatum; et hanc non supplet. Unde in parvulis sufficit character, et in amentibus, et dormientibus, licet nunquam habuerint pœnitentiam de peccatis, quia tunc habere non possunt. — Hæc Petrus, et bene. — Potest etiam dici quod character est dispositio necessitatis ad gratiam, non ideo quia non potest esse sine gratia, sed quia sine ea non potest bene operari ea que sunt cultus divini, ut superius expressum fuit. Et sic est necessaria sequela gratiae ad characterem, non quidem absolute, nec ex causa efficiente, sed ex suppositione finis characteris, quia talis finis sine gratia non potest congrue haberri. Et haec solutio potest fundari in dictis beati Thomæ, septima distinctione hujus, q. 4, art. 1, in solutione secunde questione; et similiter in dictis ejus in solutione tertii recitatis (scilicet, 3 p., q. 63, art. 4, ad 4^{am}; et 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 4, art. 1, ad 5^{am}).

Ad quintum dicitur quod virtus que ponitur in sacramentis, non agit nisi dum est in se, vel remanet in suo effectu. Et quia, recedente fictione, post usum et exhibitionem sacramenti, remanet character, a dicta virtute derelictus, ideo dicta virtus dicitur tunc agere, vel potius habere effectum suum, mediatum vel immediatum, eo modo quo diffuse expositum fuit in solutione primi. Nec valet replica

contra hanc solutionem: quia utique character est dispositio necessitatis ad gratiam, modis saepe dictis.

Ad sextum dicitur quod character est dispositio necessitatis ad gratiam, non primo modo, sed secundo modo. Et ad hujusmodi improbationem, patet quid sit dicendum, ex predictis in solutione secundi et tertii. Cum ulterius dicit quod character non potest ponи dispositio congruitatis ad gratiam, — patet quid dicendum, ex predictis in hac questione; et multis precedentibus, potissime quarta distinctione hujus.

Ad argumentum in principio contra questionem factum, respondeat sanctus Thomas, 3 p., q. 69, art. 10, in solutione primi, dicens: «Sacramentum baptismi est opus Dei, et non hominis. Et ideo non est mortuum in fœto, qui sine charitate baptizatur.» — Hæc ille. — Item, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 3, art. 2, q^{ta} 3, in solutione primi, sic dicit: «Baptismus non habet efficaciam solum ex opere operante, sed magis ex opere operato, quod est opus Dei, et non hominis. Et ideo non potest esse mortuum.» — Hæc ille.

Et haec de questione sufficientant. De qua benedictus Deus. Amen.

QUESTIO II.

UTRUM SACERDOS SIMPLEX, ETIAMI SIT EPISCOPUS, POSSIT CONFIRMARE

UTRUM, (α) circa septimam distinctionem hujus quarti, queritur: Utrum sacerdos simplex, etiamsi non sit episcopus, possit confirmare.

Et arguitur quod sic. Quia, in sacramentis, ex parte conferentis, requiritur ordo et intentio. Sed Episcopus non habet aliquem ordinem vel characterem quem non habeat simplex sacerdos. Ergo, sicut Episcopus, ita et sacerdos simplex potest confirmare, si habeat intentionem confirmandi.

In oppositum arguitur. Quia soli Episcopi in locum Apostolorum succedunt. Sed soli Apostoli, in primitiva Ecclesia, manus imponebant; quod erat confirmare. Ergo soli Episcopi nunc possunt confirmare.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones (C). In secundo, objections. In tertio, solutions.

(α) Iterum. — Om. Pr.

(β) et. — Ad. Pr.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod solus Episcopus potest potestate propria et auctoritate confirmare.

Hanc ponit sanctus Thomas, septima distinctione *Quarti*, q. 3, art. 1, q^a 2, ubi sic dicit: « In omnibus artibus et potentiis ordinatis, vel habitibus, ita est quod ultima perfectio reservatur inducenda per supremam artem in genere illo: sicut artes que operantur circa materiam navis, reservant inductiōnem formae arti superiori, que navem compaginat; et illa reservat ulterius finem, scilicet usum navis, arti superiori, scilicet gubernatoriae. Unde, cum Episcopi in ecclesiastica hierarchia teneant supremum locum, illud quod est ultimum in actionibus hierarchicis, eis reservandum fuit. Et quia perficere aliquid hoc modo quod sit supra communem statum aliorum, est supremum in actionibus hierarchicis, ideo sacramentum confirmationis, et ordinis, quibus hoc efficitur, solis Episcopis reservantur dispensanda. » — Haec ille.

Item, 3 p., q. 72, art. 11, sic dicit: « In unoquoque opere, ultima consummatio supremae arti aut virtuti reservatur: sicut præparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam. Supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiorum; et epistola, que a notario scribitur, a domino signatur. Fideles autem Christiani sunt quoddam opus divinum, secundum illud 1: *Corinthior.* 3 (v. 9): *Dei aedificatio estis. Sunt etiam quasi quedam epistola Spiritu Dei descripta,* sicut dicitur, 2. *ad Corinth.*, 3 (v. 3). » Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi: ita scilicet quod per baptismum aedificatur homo in dominum spiritualem, et conscribitur quasi quedam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi dominus aedificata deditur in templum Spiritus Sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio hujus sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut in primitiva Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt, episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habeatur, *Actuum* 8 (v. 17). Unde Urbanus Papa dicit (c. 1, D. 5, *de cons.*): *Omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Ultima consummatio baptismi, et ultimum in actionibus hierarchicis Ecclesie, reservatur Epi-

scopo. Sed confirmatio et ordinatio sunt hujusmodi. Igitur.

Secunda conclusio est quod simplex sacerdos et non episcopus potest ex commissione solitus Papæ confirmare.

Hanc ponit ubi supra. Nam, in *Quarto*, eisdem quæstione et articulo, in solutione tertie quæstiunculae, sic dicit: « Circa hanc quæstionem sunt tres opiniones. Quidam enim dicunt quod presbyter simplex de mandato Papæ non potest confirmare; et quod dicitur in littera de Gregorio, exponunt quod illi presbyteri ex mandato Papæ non conferebant sacramentum confirmationis, sed aliquod sacramentale simile illi sacramento, sicut alicui porrigitur panis benedictus loco Eucharistie. Sed non videtur conveniens quod tales simulationem in dispensatione sacramentorum induxisset Gregorius, vel sustinuisse: quia dispensatio sacramentorum pertinet ad veritatem doctrine, que non est propter scandalum dimittenda. Et ideo aliqui dicunt quod auctoritas Papæ tanta est, quod ejus mandato quilibet potest conferre quod habet, ut confirmatus confirmare, sacerdos sacerdotium conferre, diaconus diaconatum; non autem mandato ipsius potest conferre quod non habet, ut diaconus ordinem sacerdotalem. Sed haec opinio videtur nimis ampla. Et ideo media via, secundum alios, tenenda est. Et ideo sciendum quod cum Episcopatus non addat super sacerdotium aliquid per relationem ad corpus Domini verum, sed solum per relationem ad corpus mysticum (2), Papa, per hoc quod est Episcoporum summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus Domini verum, sed per relationem ad corpus mysticum. Et quia gratia sacramentalis descendit in corpus mysticum a capite, ideo omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum; et ideo solus sacerdos potest absolvere in foro penitentiali, et baptizare ex officio. Et ideo dicendum quod promovere ad illas perfectiones que non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest a Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, committi sacerdoti, qui habet summum actum supra corpus Domini verum; non autem diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini verum, sicut nec absolvere in foro penitentiali. Non autem potest sacerdoti committere promovere ad perfectionem que aliquo modo respicit corpus Domini verum; et ideo simplex sacerdos ex mandato Papæ non potest conferre ordinem sacerdotii, quia ordines sacri habent actum supra corpus Christi verum, vel supra materiam ejus. Potest

(2) a. — Ad. Pr.

autem concedere simplici sacerdoti quod conferat minores ordines : quia isti nullum actum habent supra corpus Domini verum vel materiam ejus, nec supra corpus mysticum habent (2) actum per quem gratia conferatur; sed habent ex officio quosdam actus secundarios et preparatorios. Et similiter potest concedere alicui sacerdoti quod confirmet : quia confirmatio perficit eum in actu corporis mystici, non autem habet aliquam relationem ad corpus Domini verum. » — Hae illa.

Item, ibidem (arg. 2. Sed contra), arguit sic : « Majus est ordinem conferre, quam confirmare. Sed, ex mandato Papae, aliqui non Episcopi conferunt quosdam ordines, sicut sunt Presbyteri Cardinales, qui conferunt minores ordines. Ergo, multo fortius, ex mandato Papae potest aliquis sacerdos simplex confirmare. » — Hae illa.

Item (arg. 4. Sed contra) arguit : « Quia, in littera presentis distinctionis (6), dicitur quod Gregorius in casu permisit quod sacerdotes simplices possent confirmare. »

Item, 3 p., q. 72, art. 41, in solutione primi, sic dicit : « Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis; ex quo potest quedam, que sunt superiorum ordinum, committere inferioribus quibusdam ; sicut Presbyteris Cardinalibus concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius Papa quod simplices sacerdotes conferrent hoc sacramentum, quamdui scandalum tolleretur. » — Hae illa.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Quicunque habet plenitudinem potestatis sacramentalis, tam super corpus Christi verum, quam super corpus Christi mysticum, potest committere habenti potestatem sacramentalem super corpus Christi verum, promotionem sacramentalem super corpus Christi mysticum. Sed Papa habet plenarie utramque potestatem, et sacerdos simplex habet potestatem sacramentalem super corpus Christi

verum; confirmare autem est promovere ad perfectionem concernentem solum corpus Christi mysticum. Ergo Papa potest committere simplici sacerdoti collationem confirmationis.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclusiones. Et quidem, contra secundam arguit Durandus (dist. 7, q. 4) multipliciter.

Primo sic. Quia de integritate cuiuslibet sacramenti sunt materia, et forma, et minister. Sed Papa non potest mutare aliquid circa formam sacramentorum, vel circa materiam. Ergo nec circa ministerium. Aut ergo simplex sacerdos ex institutione divina est minister confirmationis; et tunc, absque commissione Papae, potest eam conferre. Aut non est minister, sed solus Episcopus; et tunc ex quacumque commissione non (2) potest eam conferre.

Ad hoc tamen posset aliquis dicere, quod minister non est ita de integritate sacramenti sicut materia et forma : quia materia et forma sunt intrinseca sacramento; minister autem extrinsece se habet ad ipsum: propter quod, aliqua variatio potest fieri circa ministerium, et non circa materiam vel formam. Quod patet in sacramento penitentiae, in quo potest fieri variatio circa ministerium per Papam: sicut cum Papa dat aliquibus privilegium absolvendi, cum prius absolvere non possent; vel cum subtrahit ab his qui (6) prius habuerunt; nunquam tamen potest mutare materiam aut formam sacramenti penitentiae. Et similiter videtur quod posset facere circa alia sacramenta, ut scilicet posset variare ministerium, non autem materiam vel formam. — Sed istud non valet (7). Primo, quia Papa circa sacramentum penitentiae non mutat ministerium (quia minister ejus est omnis sacerdos, cum omni sacerdoti dicatur, Joann. 20, v. 22 et 23, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, etc.*); sed subtrahit materiam isti vel illi, sicut sibi placet; quod est pro tanto, quia, cum sacramentum penitentiae sit judiciale, materia hujus est peccator subditus; potest autem Papa facere quod subditus isti sacerdoti, sibi amplius non sit subditus; et sic subtrahit isti vel illi materiam absolvendi, qua sub-

(2) *habent.* — Om. Pr.

(6) Non invenitur in textu Magistri *Sententiarum* dicta concessio facta a Gregorio. Repertum autem in epistola hujus Pontificis ad Januarium Episcopum Caralitanum; et habetur in Decreto, dist. 95, can. 1, sub his verbis : *Percenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostre Ecclesie fecimus. Sed, si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* In littera vero Magistri, lib. 4, dist. 7, haec leguntur : *Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte.* Quae quidem videntur deduci ex epistola Leonis Papae, que habetur in Decreto, dist. 68, can. 4, ubi, inter alia, dicitur : *Siquidem... eis (presbyteris) licitum est nec per impositionem manum fidibus baptizatis... Paracletum Spiritum Sanctum tradere, nec chrismate baptizatorum frontes signare.*

(7) *e.c. quacumque commissione non.* — *absque commissione Papae Pr.*

(6) *qui.* — *qptae Pr.*

(7) *valet.* — *ridetur Pr.*

tracta, non potest solvere nec ligare; sicut si sacerdoti subtraheretur panis et vinum, non posset confidere. Similiter, Papa potest alicui subdere subditum, qui prius ei non erat subditus; et tunc poterit eum absolvere, quem prius non poterat ex defectu materiae. Non ergo mutat Papa ministrum penitentiae, sicut nec in aliis sacramentis; sed dat materialiam, vel subtrahit. — Vel potest alio modo dici: quod Papa ministru alicuius sacramenti mutare non potest; potest tamen præcipere quod nullus a tali vel tali ministro recipiat sacramenta; et tunc recipiens contra inhibitionem Papæ, peccat, nec recipit gratiam. Et quantum ad sacramentum penitentiae, nihil omnino recipit, nec sacramentum, nec rem sacramenti: non quia sacerdos non sit minister; sed quia confessio non est integra, quando tacet peccatum quod actu committit, contra inhibitionem Papæ faciens (2), et sic est defectus in materia; aut, si non facit, nihilominus non recipit rem sacramenti, scilicet gratiam, cum actu committat culpam. Est tamen verum sacramentum; sed quia totus effectus penitentiae est remissio culpe, ideo sacramentum est in tali iterandum; sicut esset aliud sacramentum per quod nihil penitus esset factum (3).

Nec valet quod dicitur, ministru se habere extrinsecus ad sacramentum, et materialia et formam intrinsecè. Quia, sicut minister conferens se habet extrinsecus ad sacramentum, sic et suscipiens ipsum. Sed ubi suscipiens aliquod sacramentum est determinatus, sicut in extrema unctione infirmis, vel in ordine masculis, per Papam mutari non potest (4); unde nullum est sacramentum, si sanus inungatur, vel mulier ordinetur. Ergo similiter, circa ministru nihil omnino potest mutari absque evacuatione sacramenti, quamvis extrinsecus se habeat ad sacramentum. Et hoc est secundum argumentum.

Tertio arguitur: Dispensare sacramenta quorum actus respiciunt corpus Christi mysticum, non convenit Papæ aut Episcopis ratione jurisdictionis: quia, cum Papa electus et Episcopus confirmatus habeant plenariam jurisdictionem antequam sint consecrati, possent tunc sacramenta conferre seu dispensare; quod est falsum; ergo non competit eis ratione jurisdictionis, sed ratione consecrationis. Sed ea que consecrationem respiciunt, non consecratio committi non possunt, ut habetur, Extra, *De Consecratione Ecclesie et altaris*, cap. penult. Ergo Papa vel Episcopus non possunt non episcopo committere quod possit alia sacramenta conferre.

Quarto: sicut Papa non habet maiorem potestatem

quam Episcopus, nisi in foro causarum. Si ergo ex commissione Papæ simplex sacerdos potest conferre confirmationem, vel minores ordines, idem poterit quilibet sacerdos ex commissione proprii Episcopi; quod a nullo conceditur.

Quinto. Quia, sicut in baptismo confertur potestas suscipiendo sacramenta (5), sic in ordine dispensandi ea. Sed Papa non potest facere quod non baptizatus suscipiat verum sacramentum. Ergo non potest facere quod non ordinatus illa ordinatione qua quis recipit potestatem dispensativam confirmationis, vel ordinis, possit hoc sacramentum conferre.

Sexto. Quia mirum esset si aliquis posset in actionem respectu (6) cuius non habet potentiam. Secundum istos autem, character ordinis, vel baptismi, sunt potestas suscipiendo et conferendo sacramenta. Nullus autem potest habere characterem baptismi, vel ordinis, ex commissione Papæ; sed requiritur susceptio sacramentorum. Ergo non habenti characterem ordinis per susceptionem sacramenti, non potest per quaecumque committi actus illius sacramenti. — Item, dedicatur ut prius: Quia minister confirmationis, aut est ordinatus ordine episcopali, aut simplicis sacerdotis. Si episcopali committi non potest non episcopo. Si simplicis sacerdotis, simplici sacerdoti non est necessaria commissio, nisi forte propter prohibitionem Ecclesie, ad vitandum culpam inobedientie.

Septimo arguitur. Quia ratio tuae opinionis non videtur concludere. Cum enim dicit quod Papa habet plenitudinem potestatis super corpus mysticum, — verum est dupliciter (7). Unam, quia potest sacramenta dispensare, sed non committere, cum haec sit potestas consecrationis, in qua cum ipso communicant omnes Episcopi. Aliam potestatem habet, que est jurisdictionis, que est in statuendo (8), citando, excommunicando, suspendendo, in qua nullus ei iequatur. Et hanc potest committere cui vult, in toto, vel in parte. Sed de hac (9) nihil ad propositum; sed de prima, que committi non potest.

Octavo. Quia quod dicitur, quod illa commissio non potest fieri nisi sacerdoti, qui habet potestatem super corpus Domini verum, — non videtur cogere. Quia a corpore Domini ut consideratur in se, vel per se, puta passo, vel mortuo, influit gratia in corpus mysticum, et non ab ipso solum ut est in sacramento. Sacerdos autem non habet potestatem super corpus Domini verum ut est in se, sed solum prout est in sacramento. Et ideo, quantum est de virtute sermonis, vel rationis, non est necessarium quod sibi soli competat dispensatio sacramentorum, per quem effluit gratia super corpus mysticum. Quod

(2) a verbo *contra usque ad faciens*, om. Pr.

(3) Ea quae hic leguntur, a verbis *Vel potest alio modo dici*, usque ad *nihil penitus esset factum*, non inveniuntur apud Durandum, bene vero apud Petrum de Palude, dist. 7.

(4) potest. — possunt Pr.

(5) *sacramenta*. — *sacramentum* Pr.

(6) *eius*: — Ad Pr.

(7) *dupliciter*: — Om. Pr.

(8) *statuendo*. — *scrutando* Pr.

(9) *haec*. — *hoc* Pr.

etiam patet: quia alius a sacerdote potest conferre baptismum, quantum est de ratione sacramenti; licet, ex institutione Ecclesiae, solus sacerdos habeat auctoritatem ministerii.

Nono. Quia, cum dicitur quod Presbyteri Cardinales conferunt minores ordines, — dicendum est quod aequum dubium est de minoribus ordinibus et de confirmatione. Non enim claret quomodo possint a non episcopo conferri, si solus Episcopus ex ordinatione Christi sit horum sacramentorum minister. Si vero omnis sacerdos sit minister, sed ex ordinatione Ecclesiae reservatur solis Episcopis, tunc qui libet sacerdos potest vere confirmare, et minores ordines conferre, licet peccet conferendo, faciens contra statutum Ecclesiae. Ecclesia enim potest ministerium sacramenti ligare suo statuto; sed non potest irritare sacramentum, concurrentibus his quae sunt de necessitate sacramenti. Et si hoc est verum, tunc Gregorius potuit conferre sacerdotibus quod licite confirmarent, qui alias peccassent confirmingando, licet vere (a) confirmassent. Si autem non est ita, sed solus Episcopus est minister, nescio cur non possit dici quod Gregorius cum fuerit homo, et non Deus, errare non potuerit.

Decimo. Quia videtur quod proprius minister confirmationis sit Episcopus, per illud quod dicitur, *de Consecratione*, dist. 5 (can. Manus). Minister autem minorum ordinum videtur esse simplex sacerdos, ut patet per illud quod dicitur, Extra, *De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit suo episcopatu*, cap. 1.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium articulam, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum respondet Petrus de Palude, in praesenti distinct. q. 4, quod, « eum sacerdos fiat Episcopus, et minister hujus sacramenti sit sacerdos Episcopus (quia non potest esse Episcopus nisi sit sacerdos; immo non videtur alius character, sed idem plenior) committere sacerdoti simplici non est mutare ministerium quo ad substantiam. Sciendum est autem quod forte, ex dispensatione Papae, ex chrismate non consecrato, et de oleo non benedicto, possent sani confirmari, et morientes inongi. Et esset eadem materia; quia consecratio illa nihil

reale addit, sed puram relationem rationis dicit. Unde Christus materiam instituit, et sanctificationem Ecclesiae commisit. Unde qui est super totam Ecclesiam, non potest quidem materiam mutare; sed ejus consecrationem forte posset mutare vel omittere: quia sic Christus instituit quod oleum vel chrisma sit materia, eo modo quo fuerit per Ecclesiam determinatum; unde forte non est apud omnes; et quia consecratio illa non est sacramentum, sed aliquid sacramentale, ideo videtur esse in dispositione Ecclesiae. Sed, sicut nullum est matrimonium inter personas quas Ecclesia reddit illegitimas; sic non est confirmatio, nec unctionis, si fieret de materia contra ritum Ecclesiae preparata. Similiter ergo, si consecratio Episcopi non sit sacramentum, sed sacramentale, videtur quod Papa possit circa illud dispensare: ut scilicet minister conferens illa sacramenta quibus aliquis praeficitur corpori Christi mystico, sic sit a Christo determinatus, scilicet quod sit sacerdos, secundum quod placuerit Ecclesia ipsum consecrare. Unde qui praest toti Ecclesiae, potest ei committere sine hac consecratio. Sed quia generaliter statuit quod non episcopus hoc non faciat, ideo qui contra hoc agit, nihil facit. Determinationem enim sacerdotis Christus Ecclesiae commisit; sed quod sacerdos esset, hoc determinavit. Unde forte Papa potest facere quod simplices sacerdotes Episcopum consecrarent. Sed respectu aliorum sacramentorum, que respiciunt corpus Christi verum, Christus determinavit non solum quod esset sacerdos, sed etiam qualis sacerdos, quia Episcopus, secundum ritum Ecclesiae consecratus. Unde modum conferendi Ecclesiae commisit; sed cum consecratum voluit esse ulteriori ritu quam simplicem sacerdotem. Et quamvis ista non prouentur, tamen isto modo esse potuit. Et isto modo salvari potest quod Ecclesia Romana facit, de qua supponendum est quod non errat. » — Hæc Petrus.

Sed contra hanc solutionem arguit Durandus (dist. 7, q. 3),icens quod « hæc opinio non solum videtur falsa, sed fidei et Ecclesiae valde periculosa. Et quod sit falsa, patet. Quia, secundum omnes sanctos, et doctores, theologos, et sacros canones, Christus non commisit alieni homini respectu sacramentorum nisi simplex ministerium, et non potestatem excellentie, vel aliquid ad eam pertinens. Sed ordinare de materia sacramenti, puta de oleo, vel chrismate, quod benedicatur vel non benedicatur, vel quod benedicatur tali benedictione vel alia, et quod hujusmodi ordinatio sit de necessitate sacramenti et non solum de solemnitate, pertinet ad potestatem excellentie, et non ad simplex ministerium, quod consistit solum et precise in faciendo ea que circa sacramenta sunt instituta per Christum. Et istud non sicut commissum alicui homini, nec Papæ, nec alicui alii. Et quod dictum est de

(a) vero. — alias Pr.

materia, habet locum de ministro: quia ordinare quod minister sit ordinatus tali vel tali consecratione, prout placet ordinanti, et quod talis ordinatio seu consecratio sit de necessitate sacramenti, pertinet ad potestatem excellentiae, et nullo modo ad simplex ministerium. — Quod etiam praedicta opinio sit fidei et Ecclesiae valde periculosa, patet. Quia sicut isti dicunt et ponunt quod Christus commisit voluntati et dispositioni Ecclesie vel Papae, quod chrisma vel oleum sit benedictum vel non benedictum; et, si benedictum, quod benedicatur tali benedictione, secundum voluntatem et ordinationem Ecclesiae vel Papae; et sicut ponunt de ministro confirmationis vel ordinationis episcopalis, quod sit sacerdos consecratus consecratione simplicis sacerdotii vel summi, pro voluntate et ordinatione Papae vel Ecclesiae, quae ordinatio est de necessitate sacramenti; ita possunt dicere circa alia sacramenta, scilicet baptismi, Eucharistiae, poenitentiae, et extremae unctionis. Poterit enim dici quod minister Eucharistiae, poenitentiae, et extremae unctionis, ex institutione Christi est sacerdos; sed Christus commisit dispositioni Ecclesiae, vel Papae, quali consecratione sit ille sacerdos consecratus, videlicet consecratione simplicis sacerdotii, vel consecratione episcopali. Et, si Papa ordinaret quod esset consecratus consecratione episcopali, tunc soli Episcopi possent sacramentum Eucharistiae perficere vel consicere, et absolvere in foro poenitentiae, et infirmos ungere; nec alias esset verum sacramentum. Similiter, circa sacramentum baptismi, posset dici quod Christus solum instituit quod baptismus fieret in aqua; sed commisit Papae vel Ecclesiae determinationem aquae, videlicet an esset benedicta vel non benedicta, calida vel frigida. Et similiter, posset dici quod Christus instituit solum quod vinum esset materia consecrationis sanguinis; sed commisit determinationi Papae vel Ecclesiae quale esset illud vinum, album vel rubeum. Et, si Papa circa aquam baptismi determinaret quod deberet esse calida, et circa vinum quod deberet esse rubeum, baptismus non posset fieri, saltem extra casum necessitatis, nisi in aqua calida, nec sanguis Christi consecrari, nisi in vino rubeo; quia ordinatio Ecclesiae esset de necessitate sacramenti, ex commissione Christi. Nec est major ratio dicendi illa quae isti dicunt, quam dicendi haec quae subjecta sunt. Quod periculosa autem sint haec omnia, perpendere potest quilibet prudens, eo quod fides quam habemus de sacramentis, dependeret ex illa voluntate unius hominis, scilicet Papae, etiam quantum ad aliqua quae essent de necessitate. — Item, absurdum videtur, et contrarium Sacrae Scripturae, quod ex commissione Papae simplices sacerdotes possent Episcopum consecrare. Dicit enim Apostolus, *ad Hebreos* (cap. 7, v. 7), quod, *absque ulla contradictione, minor a majore benedicitur.* Sed Episcopus non est minor simplici sacerdotio,

immo major, sive consecratio episcopalis sit sacramentum, sive sacramentale. Ergo absurdum est dicere quod simplices sacerdotes possunt Episcopum consecrare. Tenendum est ergo, secundum communem et sanam doctrinam, quod, circa sacramenta et sacramentalia per Christum instituta, nihil potest mutari per quemcumque hominem, quantum ad ea quae sunt de necessitate sacramentorum, vel sacramentalium, si qua per Christum instituta fuerint; nec in his Christus commisit homini, Papae, vel alteri, nisi simplex ministerium; quamvis ad solemnitatem ministerii potuerit et possit Ecclesia addere, vel subtrahere, vel mutare, prout judicaverit expedire. » — Haec Durandus, in forma.

Sustinendo autem opinionem Petri, dicendum est primo, quod illa opinio non est falsa, sed vera. Et ad probationem, dicitur, negando minorem, scilicet quod ordinare aliquid circa benedictionem sacramentorum materiae, quae quidem ordinatio sit de necessitate sacramenti, et non solum de solemnitate, pertineat ad potestatem excellentiae, quam Christus habuit respectu sacramentorum novae legis. Unde sciendum est quod talis potestas non consistit in his quae dicit arguens, sed in aliis. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 64, art. 3, sic dicit: « Interiorem effectum sacramentorum operatur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo; aliter tamen et aliter. Nam, secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie, et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim (3 p., q. 48 et 49) quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est justificationis nostrae meritorie, et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus. Sed tamen, quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum quae sunt ministri Ecclesiae et ipsa sacramenta. Et ideo, sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis; ita, in quantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae. Quae consistit in quatuor. Primo quidem, in hoc quod meritum et virtus passionis ejus operatur in sacramentis. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud *Romanorum*, 3 (v. 25), *Quem proposuit Deus propitiatori, per fidem in sanguine ejus, quam fidem per invocationem nominis Christi protestamus* (a); ideo, secundo, ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex institutione

(a) protestamus. — protestantur Pr.

sacraenta virtutem obtinent, inde est quod, tertio, ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ille qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius econtra, ideo, quarto, pertinet ad excellentiam potestatis Christi, quod ille potuit conferre effectum sacramenti sine exteriori sacramento. » — Haec ille. — Et consimilia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 5, q. 1, art. 1. Item, 3 p., ubi supra, art. 4, sic dicit: « Christus in sacramentis habet duplēcēm potestatēm. Unam auctoritatis, que competit ei secundum quod Deus; et talis potestas nulli creature potuit communicari, sicut nec divina essentia. Aliam potestatēm habuit excellentie, que competit ei secundum quod homo; et talem potestatem potuit Christus communicare ministris Ecclesiæ, dando scilicet eis tantam gratie plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, et ut ad invocationem nominis eorum sanctificantur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Christus non ex invidia pretermisit (α) potestatem excellentiae ministris tribuere, vel communicare, sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Cephae*, ut dicitur, 1. *Corinthior.* 1 (v. 42). » — Haec ille. — Ex quibus appetit quod ordinare aliquid pertinens necessario ad sacramentum, non quidem primarie et principaliter, sed secundarie et minus principaliter, potissime ex commissione Christi, non pertinet ad potestatem excellentiae in sacramentis, sed ad potestatem ministerialem, non quidem qualiscumque aut ejuscumque ministri, sed solum ministri qui habet plenitudinem potestatis ministerialis in Ecclesia, cuiusmodi est Papa. Hoc enim non est instituere sacramenta quoad essentialia sacramentorum vel substantiam, sed ordinare et disponere de quibusdam actibus, necessario tamen requisitis ad complementum sacramentorum, et hoc non auctoritate propria, sed ex commissione Christi, speciali vel generali, implicita vel explicita. Et ad hoc videtur facere dictum sancti Thome, 3 p., q. 72, art. 3, in solutione tertii, ubi sic dicit: « Materia corporalis non est capax gratiae, quasi gratiae subjectum, sed solum sicut gratiae instrumentum; et ad hoc materia sacramenti consecratur, vel ab ipso Christo, vel ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi. » — Haec ille. — Item, in principali solu-

tione, sic (α) dicit: « Tota sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur. Est autem considerandum quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet baptismo et Eucharistia. Et ideo, ex ipso usu Christi, materie horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Unde Chrysostomus (β) dicit quod *nunquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu dominicæ carnis sanctificatæ fuissent*. Et ipse similiter Dominus accipiens panem, benedixit; similiter autem et calicem, ut habetur, Matth. 26 (v. 26), et Lucæ 22 (v. 19 et 20). Et, propter hoc, non est de necessitate horum sacramentorum quod materia plus benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibetur, pertinet ad sacramenti solemnitatem, non autem ad necessitatem. Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne fieret injuria invisibili unctioni qua est *unctus præ consortibus siis* (Psalm. 44, v. 8). Et ideo tam chrisma quam (γ) oleum sanctum, et oleum infirmorum, prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti. » — Haec ille. — Ex quibus videtur quod benedictio chrismatis vel olei nunquam fuerit taeta vel exercita a Christo actualiter, nec benedictionis forma explicite ab ipso tradita, sed Ecclesiæ et Episcoporum primo, scilicet Papæ, commissa; et quod hoc non pertinet ad potestatem excellentiae, sed ministerii. Institutio autem sacramentorum pertinet ad potestatem excellentiae, ut dictum est. Et de hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 3, art. 1, in solutione quinte questiuncule, sic dicit: « Ministri Ecclesie instituuntur in Ecclesia divinitus fundata. Et ideo institutio Ecclesie presupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis presupponitur ad opus naturae. Et quia Ecclesia fundatur in fide et sacramentis, ideo ad ministros Ecclesie, nec novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova sacramenta instituere, aut instituta removere, pertinet; sed hoc est potestatis excellentiae, que soli debetur Christo, qui est Ecclesie fundamentum. Et ideo, sicut Papa non potest dispensare ut aliquis sine baptismo salvetur, ita nec quod salvetur sine confessione, etc. » Item, dist. 7, q. 4, art. 1, in solutione primi argumenti primæ questiuncule, sic dicit: « Circa institutio[n]em hujus sacramenti, scilicet confirmationis, est triplex opinio. Una enim dicit quod hoc sacramentum non fuit institutum, nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea, processu temporis, in quadam concilio generali. Et dicunt quod Dominus remisimus sacramenti conferebat sine sacramento, manus imponendo; similiter et Apostoli, eo quod ipsi con-

(α) sic. — sicut Pr.

(β) Inno Chromatius, in cap. 3. Matth.; et habetur in Decreto, can. 10, D. IV, de Consec.

(γ) quam. — tam Pr.

sfirmati fuerunt immediate a Spiritu Sancto. Sed hoc videtur valde absonum: quia, secundum hoc, Ecclesia tota die posset nova sacramenta instituere; quod est falsum; cum ipsi non sint factores legis, sed ministri, et fundamentum cuiuslibet legis in sacramentis consistit; et prieterea, in littera (præs. dist.), dicitur quod, *tempore Apostolorum, non ab aliis quam ab Apostolis fuit peractum* (2). Ideo alii dicunt quod non fuit a Christo sed ab Apostolis institutum hoc sacramentum. Sed hoc etiam non competit: quia et ipsi Apostoli, quamvis essent bases Ecclesie, non tamen fuerunt legislatores; unde ad eos non pertinebat sacramenta instituere. Et ideo probabilius videtur aliorum opinio, qui dicunt, hoc sacramentum, sicut et omnia alia, a Christo fuisse institutum (6); quod patet ex hoc quod ipse etiam Dominus pueris manus imponebat, ut patet, Matth. 19 (v. 15). Nec obstat quod in Evangelio vel in Actibus Apostolorum non sit mentio de materia vel de forma hujus sacramenti: quia formæ sacramentorum, et alia quæ in sacramentis exiguntur, occultanda erant in primitiva Ecclesia, propter irrisiones infideliuum, ut dicit Dionysius (cap. 7, *de Eccles. Hierarch.*, etc.) » Item, eadem quest., art. 3, q^a 1, in solutione secundi, sic dicit: « Quidam dicunt quod Apostoli, propter dignitatem et auctoritatem ipsorum, confirmabant sine materia et forma, per solam manus impositionem. Sed hoc non videtur bene dictum: quia, quantumcumque ipsi essent magna auctoritatis, tamen potestatem excellentiae in sacramentis dispensandis non habebant. Et ideo dicendum est quod Apostoli aliqua forma utebantur, quamvis non fuerit scripta. Multa enim Apostoli servabant in sacramentorum dispensatione, quæ nolebant divulgari, propter irrisione infideliuum evitandam; sicut patet per Apostolum dicentem, 1. *Corinthior.* 11 (v. 34): *Cætera, cum venero, disponam;* et loquitur de celebratione sacramenti Eucharistie, etc. » Item, dist. 2, q. 1, art. 4, in solutione quartæ questionis, sic dicit: « Quidam dicunt, non omnia sacramenta a Christo immediate instituta fuisse, sed quedam ipse per se instituit, quedam vero Apostolis instituenda commisit: scilicet confirmationem, in qua Spiritus Sanctus datur ad robur, cuius institutio esse non debuit ante plenam Spiritus Sancti missionem; et extreminam unctionem, quæ, cum ad gloriam resurrectionis sit immediatum et proximum preparatorium, ante resurrectionem institui non debuit. Sed quia institutio sacramentorum videtur ad potestatem plenitudinis excellentiae in sacramentis pertinere, quam sibi Christus reservavit in sacramentis, cum ex institutione sacramenta habeant quod significant,

ideo aliis probabilius videtur quod, sicut puri hominis non est sacramenta mutare, vel a sacramentis absolvere, ita nec nova sacramenta instituere; et ideo omnia sacramenta novæ legis ab ipso Christo institutionem habent. » — Hæc ille. — Similia ponit, 3 p., q. 64, art. 2, ubi probat quod solus Deus est sacramentorum institutor. Et similiter, q. 72, art. 4 (ad 1^{um}), ubi probat quod « Christus instituit sacramentum confirmationis, non exhibendo, sed promittendo ». Ex quibus omnibus apparet quod nova institutio sacramentorum pertinet ad potestatem excellentiae solius Christi; non autem institutio benedictionis, aut alicujus accidentalis et non substantialis determinatio materiæ sacramentalis; illa enim competere potest Papæ.

Sed tunc restat dubium. Quia sanctus Thomas dicit, 3 p., q. 64, art. 2, in solutione primi, quod « illa que aguntur in sacramentis, per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti; sed pertinent (2) ad quādam solemnitatem, quæ adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his que sacramenta suscipiunt. Ea vero que sunt de necessitate sacramenti, sunt ab ipso Christo instituta, qui est Deus et homo; et, lidet non omnia sint tradita in Scripturis, habet tamen Ecclesia ea ex familiari traditione Apostolorum, sicut Apostolus dicit (6), 1. *Corinthior.* 11 (v. 34): *Cætera, cum venero, disponam* ». — Hæc ille. — Dicendum est quod loquitur de institutis per homines non habentes plenitudinem potestatis hierarchicæ in Ecclesia, cujusmodi sunt inferiores Papa; sed non intendit includere Papam. Quod patet: quia, 4. *Sentent.*, dist. 40, q. 1, art. 4, vult ei determinat quod gradus consanguinitatis impedientes matrimonium possunt taxari ab Ecclesia usque ad quartum gradum; ita quod de necessitate sacramenti est quod contrahentes, et illud sacramentum accipientes, non attineant sibi in aliquo quatuor gradum. Unde, secundo loco, arguit sic: « Matrimonium est sacramentum, sicut baptismus. Sed non posset (7) ex statuto Ecclesie fieri quod ille qui ad baptismum accedit, non recipere characterem baptismalem, si ex jure divino ejus capax fuerit. Ergo si eccl. statutum facere potest quod matrimonium non sit inter illos qui per jus divinum matrimonialiter conjungi non prohibentur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod matrimonium non tantum est sacramentum, sed etiam est in officium. Et ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesie quam baptismus, qui est tantum sacramentum: quia, sicut contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia

(2) Hæc verba relata a Magistro, presenti distinctione, sunt Eusebii Pape, epist. 3. ad Episcopos Tuscie et Campanie; et habentur in Decreto, can. 4, D. V. *de Conserv.*

(6) *institutum*. — *instituta* Pr.

(2) *pertinent*. — Om. Pr.

(6) *dicit*. — Om. Pr.

(7) *posset*. — *potest* Pr.

spiritualia lege Ecclesiae. » — Haec ille. — Item, dist. 25, q. 1, art. 1, arguit sic, tertio loco : « Illa quae sunt ordinis, non possunt alieui committi, qui non habet ordinem. Sed conferre minores ordines committitur aliquibus qui non sunt Episcopi, sicut Presbyteris Cardinalibus. Ergo conferre ordines non est episcopalis ordinis. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod Papa, qui habet plenitudinem pontificalis potestatis, potest committere non Episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent, dum tamen illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi. Et ideo, ex ejus commissione, aliquis sacerdos simplex potest conferre minores ordines, et confirmare; non autem aliquis non sacerdos; nec iterum simplex sacerdos maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod conserandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos. » — Haec ille. — Ex quibus apparet : Primo, quod Papa potest instituere circa materia sacramentorum aliquam determinationem, vel conditionem, aut circumstantiam, ita necessariam sacramento, quod ejus omissio, facta ab inferioribus Papa, reddit sacramentum nullum. Secundo, quod Papa, propter complementum et plenitudinem sua potestatis, aliquam conditionem ministri sacramentorum necessariam sacramento collato ab inferioribus Papa, potest facere non necessariam, ut patet de ministro ordinis et confirmationis. Tertio, conceditur quod (2) nihil institutum a Papa circa sacramentorum materiam, aut formam, aut ministerium, est sic et taliter necessarium sacramento, quod non possit per eundem Papam, aut per alium ministerium Ecclesiae sibi aequali, puta suum successorem, reddi non necessarium sacramento. Secus est de institutis circa sacramenta per Christum, in quibus ea quae sunt necessaria nullus minister Ecclesiae potest reddere non necessarium, sine Christi vero et expresso, aut interpretativo et aequipollenti mandato; cuiusmodi est in praesenti materia, circa sacramenta confirmationis et minorum ordinum, circa quorum commissionem Papa specialiter potestatem accepit, qua Petrus usus fuisse creditur, et multi sui successores, potissime beatus Gregorius, et mos Romanæ Ecclesiae sic habet. Ex quibus omnibus patet qualiter potestas Papæ, licet non sit potestas excellentia, potest tamen duo supradicta. Conceditur etiam quod nihil institutum per Papam, consistens praeceps in verbis, est de necessitate sacramenti, stricte sumendo sacramentum: non enim potest aliquid addere vel subtrahere necessarium formam sacramenti.

Gum autem ulterius dicit arguens, quod opinio Petri est periculosa fidei vel Ecclesiae; negandum est. Nec valet sua probatio per similitudinem de

sacramento baptismi, vel Eucharistie. Tum quia nec Apostolorum Princeps, nec Romana Ecclesia, cuius fides periclitari potest sed non desiccare, unquam circa sacramentum baptismi, aut Eucharistie, aliqua necessaria predictis sacramentis, quantum ad materiam vel formam aut ministerium, leguntur instituisse, sicut circa sacramentum ordinis, confirmationis et matrimonii. Tum quia baptismus est sacramentum necessitatis; ideo minister et materia non potest per Papam arctari aliqua speciali determinatione, sicut materia matrimonii, aut minister ordinis, aut confirmationis, quia sacramenta non sunt tantæ necessitatis. Tum quia, ut sepe dictum est, sacramenta majorum ordinum et Eucharistie habent immediatam relationem ad corpus Christi verum; non sic est de sacramentis confirmationis, aut matrimonii, vel minorum ordinum; Papa vero, licet non habeat in sacramentis potestatem excellente sicut Christus, habet tamen completissimam potestatem ministri; et ideo quedam non necessaria potest reddere necessaria, et circa quedam necessaria potest dispensare, et reddere non necessaria (2), circa sacramenta que non habent immediatam relationem ad corpus Christi verum, sed perficiunt in aliquo gradu corporis mystici. Et hoc sufficiat pro nunc ad replicam Durandi contra solutionem Petri ad primum Durandi. — Forte tamen non oportet sustinere omnia que dicit Petrus circa benedictionem materiae confirmationis, aut unctionis, aut Episcopi; quia non omnia videntur esse de mente sancti Thomæ; cuius dicta suscepimus defendenda, vel potius sustinenda dumtaxat.

Ad secundum Durandi respondet Petrus (dist. 7, q. 4), dicens quod « actio transiens, non solum essentialiter, sed etiam subjective differt ab agente; sed patiens est idem subjecto cum ea. Unde essentialius se habet patiens ad actionem transeuntem, quam agens. — Vel potest dici quod, sicut Papa non potest mutare subjectum a Deo determinatum, sic nec agens a Deo determinatum. Sed subjectum est quidem quandoque a Deo determinatum totaliter et simpliciter, et tunc Papa nihil potest; aliquando conditionaliter, scilicet supposita ordinatione Ecclesie, sicut in matrimonio vir et mulier; unde ibi Papa potest facere personas illegitimas et legitimas. Et similiter est ex parte ministri: quia quando est determinatus totaliter et simpliciter, Papa nihil potest, puta sacerdos est determinatus ad unigenitum et absolvendum; quando autem est determinatus sub conditione cuius impletio est in potestate Ecclesie, tunc Papa potest. Et sic supponitur esse hic; sicut o converso supponitur in susceptiente omnia sacramenta praeter baptismum et matrimonium, quod (6) baptizatus est susceptivus, et non

(2) *quod.* — *quia* Pr.

(2) *necessaria.* — *necessarium* Pr.
(6) *quod.* — *quoniam* Pr.

alius; unde nec Papa potest facere quod non baptizatus possit aliquod sacramentum suscipere, quia sic Christus ordinavit. Si autem ordinavit similiter quod solus sacerdos sit susceptivus episcopalnis consecrationis, tunc Papa non potest dispensare. Unde, quia supponimus quod Ecclesia non errat in his in quibus Ecclesia dispensatione utitur, supponendum est determinationem ultimatam esse Ecclesiae commissam. In quibus vero nondum attentavit, supponendum est a Christo determinationem esse factam». — Hae Petrus, et bene. — Posset tamen dici quod, in casu quo Papa committit collationem confirmationis simplici sacerdoti, non proprie mutat ministerium sacramenti. Quia minister illius sacramenti est sub disjunctione, Episcopus, vel simplex sacerdos, commissarius Papie, ad hoc specialiter deputatus. Tum quia, in tali casu, Papa committens dicitur confirmare; qui est competens minister. Tum quia, si hoc non conceditur, tamen, in tali easu, factum Papae est factum Christi; et talis ministeriat sacramentum institutione Christi, non nova, sed antiqua, non absoluta, sed conditionali.

Ad tertium respondet Petrus (*ibid.*), dicens quod, « licet Epicopus non possit committere non consecrato in Episcopum ea quae sunt episcopalnis consecrationis, puta dedicare Ecclesias, et hujusmodi; Papa tamen posset non Episcopo, immo etiam non sacerdoti, nisi illa quae includunt Missae celebrationem, committere; quia talia sunt de jure positivo. De his vero quae sunt de jure divino, nihil licet inferiori Papa; sed Papa sic, secundum distinctionem factam. — Vel potest dici quod non consecrato non possunt committi, etiam a Papa; sed consecrato in sacerdotem, licet non sit consecratus in Episcopum, possunt aliqua committi a Papa, et non ab alio, sicut sunt illa de quibus agitur. Unde decretalis *Aqua*, *De consecratione ecclesiæ vel altaris* (cap. 9), non est ad propositum: quia loquitur de Episcopo qui ea quae sunt consecrationis non Episcopo non potest committere, immo nec tonsuram conferre; cum tamen constet quod Papa hujusmodi committat; quia, cum habeat plenitudinem Pontificatus, ea quae sunt Pontificum, etiam non Pontifici committit; quod non potest facere particularis Pontifex; perfectum enim est, quod potest sibi simile generare. Et quando unus Episcopus committit alteri ordines in sua dioecesi conferre (α), vel hujusmodi, ille qui ordines confert, jure suo confert, et auctoritate sua, non committentis; quia etiam non consecratus committere potest; propter quod oportet quod is cui committit, qui jure suo hoc facere potest, sit consecratus illa consecratione ad quam hoc pertinet. Sed quando ex commissione Papæ confirmat, vel dat minores ordines, non sua auctoritate, sed vice Papæ, hoc facit: quia, si potest facere perfe-

(α) *conferre*. — *facere* Pr.

ctum Episcopum sicut vult, scilicet mutando materiam et formam, sic et partiale Episcopum, id est, in parte dare alicui potestatem Episcopi ut Episcopus est, non quam habet ut Episcopus et sacerdos, scilicet collationem ordinum majorum, qui respiiciunt corpus Christi verum. » — Hac Petrus, et satis conformiter dictis sancti Thomae in simili proposito. Unde, *4. Sentent.*, dist. 25, q. 1, art. 1, arguit sic, quinto loco: « Plus distat sacerdos a diacono, quam Episcopus ab Episcopo. Sed Episcopus potest consecrare Episcopum. Ergo sacerdos potest promovere diaconum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod ad communicaandum alteri quod quis habet, non tantum exigitur propinquitas, sed completio potestatis. Et quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis; sicut Episcopus, ideo non sequitur quod possit diaconos facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquus. » — Hac ille. — Sie, in proposito, dici potest de Papa respectu Episcorum aliorum.

Ad quartum respondet Petrus (*ibid.*), dicens quod, « licet Papa non habeat majorem potestatem conferendi saeraenta per se quam Episcopus, tamen habet majorem potestatem in conferendo ea per alium: quia conferre est consecrationis, sed committere est jurisdictionis; est autem Papa major in jurisdictione quam alius Episcopus, sed aequalis est in consecratione, quia aequalis est utriusque consecratio, cum sit eadem; unde Episcopus factus Papa non amplius consecratur. Et potest poni exemplum in Episcopo et Inquisitore: quia non habet Episcopus majorem potestatem in cognoscendo de criminis haeresis per se, immo de pari currunt; sed Episcopus, cum sit ordinarius, habet majorem in committendo quam Inquisitor, qui committere non potest Episcopo. — Praeterea, consequentia appetit falsa in omnibus consecrationibus quae sunt sacramentales et non sacramenta; quia ita potest in illis Episcopus per se sicut Papa; sed Papa (γ) potest eas committere non Episcopo; non autem potest hoc simplex Episcopus. Unde, in decretali *Aqua* (*De consecratione ecclesiæ vel altaris*, cap. 9), Papa, dissimulando, ratam habet consecrationem factam a simplicibus sacerdotibus (β); ad quod ratificatione inferioris non valeret, nec aliquid faceret. » — Hac Petrus, et bene.

Ad quintum respondet Petrus (*ibid.*), dicens quod, « sicut Papa non potest facere quod non baptizatus recipiat alia sacramenta, quia character baptismalis est simpliciter potentia passiva ad alia sacramenta, et nemo recipit illud enjus non habet potentiam receptivam; sic (γ) Papa non potest facere quod non ordinatus, qui caret charactere ordinis,

(α) *sed Papa*. — *tamen* Pr.

(β) *a simplicibus sacerdotibus*. — Om. Pr.

(γ) *sic*. — *et similiter* Pr.

possit conferre confirmationem, vel minorem ordinem, quia character ordinis est potentia activa ad conferendum ea. Unde bene oportet quod characterem sacerdotalem habeat ille cui Papa hoc committit; sed non oportet quod habeat ordinem episcopalem: sicut diceretur quod character ordinum inferiorum est potestas faciendi ex officio quod sine illis homo facere non potest ex se, sed solum ex commissione; ita etiam ordo episcopalis est potestas conferendi ordines ex se, sine quo, quasi ex se et ex proprio officio, nullus potest conferre; sed ex commissione Pape sacerdos potest illud quod Episcopus ex se potest in talibus; quasi non sit ordo potestas conferendi, sicut character baptismalis recipiendi. Sed aliquis ordo est potestas faciendi quod aliter fieri non potest: ut sacerdotium conficiendi, et ligandi et solvendi; et episcopatus ad maiores ordines ordinandi; quod aliis non potest. Est autem potestas in aliis faciendi ex officio ordinarie quod aliis non potest nisi ex commisso et vice alterius. Et sic ordo inferior ad suos actus, et episcopatus ad minorum collationem et confirmationem, proportionaliter se habent. » — Haec Petrus, et bene.

Ad sextum respondet (ibid.) quod « minister est duplex. Unus simpliciter, qui sic potest hoc facere, quod nullus aliis. Et talis per Papam non potest ponи, nec amoveri: sicut sacerdos est minister conficiendi; quia nec prohibitio Pape impedit quin sacerdos possit conficere, nec facit ejus commissio quod non sacerdos (z) conficiat. Et sic nullus est minister confirmandi, vel ordinandi minores ordines. Secundo est aliquis minister, non simpliciter, sed ex officio, qui scilicet potest facere aliquid ex officio suo, quasi ordinarie, quod aliis jure suo non potest, sed tantum ex commisso. Et talis minister per Papam ponи potest, licet per Papam ille qui ex se hoc habet non possit amoveri: sicut confiteri fidem pertinet ad confirmatum, et ad minores ordines actus illi (6) quos tamen superior alteri committere potest, ut siant ab alio licite, auctoritate etiam minoris praepati quam Papa sit; sed non potest facere quin ad istos ex officio pertineat istud, licet possit prohibere quod officium suum non exerceant. Et sic minister confirmationis et collationis minorum ordinum est Episcopus, ut ad ipsum solum pertineat ex officio; quod Papa sibi auferre non potest, licet possit eum ab executione suspendere. Sed hoc ipsum Papa potest committere non Episcopo, dum tamen sit sacerdos; quia ille est minister simpliciter, sed imperfectus de se, nisi vel major consecratio, vel superioris commissio suppleat. » — Haec Petrus, et bene, conformiter dictis sancti Thome in alia materia, scilicet de confirmatione, dicens quod aliquid potest confirmatus ex officio, quod non potest ex

(x) a verbis possit conficere usque ad sacerdos, om. Pr.

(6) minores ordines actus illi. — minoris ordinis actus

Pr. officio non confirmatus, licet alias possit, ut confiteri publice fidem coram adversariis fidei, ut patet, 3 p., q. 72, art. 5, in solutione secundi. — Potest etiam dici quod, dato quod ad confirmandum et ad conferendum minores ordines necessario requiratur character sacerdotalis, et, ultra hoc, potestas episcopalis; tamen Papa, ex plenitudine et compleimento potestatis ministerialis, et ex ordinatione Christi, cuius est Vicarius, potest tollere illam necessitatem; quia illa necessitas non est nisi respectu inferiorum ministeriorum; sicut aliquid est necessarium per respectum ad causas secundas naturales, quod non est necessarium per respectum ad causam primam, sicut mortuum non resurgere, virginem non parere, et similia. Et de hoc sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 1, art. 3 et 4, et multis aliis locis.

Ad septimum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « illud argumentum inhuit talam rationem: Quia, aut intelligitur Papam habere plenitudinem potestatis ratione consecrationis, vel ratione jurisdictionis. Non ratione consecrationis; quia, quantum ad istam, omnes Episcopi sunt aequales Papae. Si autem ratione jurisdictionis, sic est verum; sed ad illam non pertinet commissio talis. Ergo Papa non potest committere non sacerdoti collationem confirmationis et minorum ordinum. — Sed ad hoc dicitur quod Papa habet plenitudinem potestatis, etiam quantum ad consecrationem, in qua etiam aliis non sibi aequaliter: quia, licet omnia sacramenta possint aliis Episcopi conferre, sicut ipse; tamen, in sacramentis conferendis, aliis tenentur ad modos consecrandi, ad quos ipse non tenet. Item, in multis consecrationibus, ipse habet potestatem excellentie, quia sine illis potest res consecrare, ex quo consecratio est per institutionem Ecclesiae. Item, quod dicitur, quod ad plenitudinem jurisdictionis, in qua nullus aequaliter ei, non perficit commissio, — falsum est. Omnis enim commissio ad jurisdictionem pertinet; quia in jurisdictione continetur judicis dandi licentia (z), ff, *de Jurisdictione*, l. 3. Et, licet per se ordinare et confirmare sit consecrationis, tamen hoc committere est jurisdictionis; unde non sacerdos curatus potest committere audientiam confessionum sacerdoti, et non consecratus Episcopus committit Episcopo ordines conferre in sua dioecesi ». — Haec Petrus, et bene.

Ad octavum respondet (ibid.) quod, « licet gratia fluat a Christo non solum prout est in hoc sacramento, sed etiam prout est in se, et prout est in aliis sacramentis, quamvis sacerdos non habeat potestatem super ipsum prout est in se, habet tamen potestatem super ipsum prout est in hoc sacramento et in aliis, quia omnia illa ordinantur aliquo modo ad istud. Et ideo ille qui ex officio habet potestatem in istud sacramentum, scilicet Eucharistiam, ex hoc

(z) judicis dandi licentia. — judicium dandi licentiam
Pr.

ipso aptus est ut habeat potestatem in alia ex commissione. Potuit tamen Deus aliter ordinare; sed supponimus quod sic ordinaverit, ex quo Romana Ecclesia sic facit. Quod autem dicitur, quod non sacerdos potest baptizare; et sic confert sacramentum gratiae, qui tamen non habet potestatem super corpus Christi verum; — dicitur quod hoc est ex ordinatione Christi, et non Papae. Et similiter matrimonium contrahunt, in quo datur gratia, non sacerdotes; quod non est ex commissione Papae, sed ex ordinatione Dei. Sed ex commissione Papae fieri non potest quod ille conferat sacramentum gratiae qui non est sacerdos, nec alias sine ordinatione Papae illud conferre posset; tunc enim Papa haberet potestatem excellentiae in sacramentis, si ad libitum posset ministrum instituere vel destituere. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad nonum respondet (ibid.) quod « aliqua sunt Episcopi ut Episcopus est, quantum ad posse simpliciter et totaliter, que non possunt committi non Episcopo, sicut conferre maiores ordines. Aliæ autem sunt Episcopi ut Episcopus est, non quantum ad posse simpliciter, sed quantum ad posse ex officio, sicut confirmare, et conferre minores ordines; et ista a solo Papa possunt committi non Episcopo, ut siant auctoritate summi Episcopi. — Ad illud autem quod dicitur de Gregorio, non bene respondetur. Quia, Extra, *De consuetudine*, cap. 4, dicitur quod si simplex sacerdos sine commissione confirmat, non solum peccat, sed inaniter confert, et veritas sacramenti non subest; et multo magis de minoribus ordinibus. Ergo illud membrum quo dicit sacerdoti competere, sed superioribus reservatum, — non valet. — Aliud vero quod dicit Gregorium errasse, pejus est ». — Hæc Petrus.

Ad decimum respondet (ibid.) quod, « cum dicitur quod simplex sacerdos est minister minorum ordinum, — dicendum quod verum est, ex commissione juris, ut Abbes lectoratus, secundum quosdam antiquitus; vel ex commissione Papae, ut Presbyteri Cardinales; aliter non. Unde dicitur, *De ordinatis ab illo qui renuntiavit episcopatu* (cap. 1), quod *tales ordines aliquando conferuntur a non Episcopis*, quando scilicet eis committitur, et non ex officio; et, *De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum*, cap. (2) *Cum continget*; et (6), Dist. 60, can. *Quoniam videmus*. Sed, si diceremus subdiaconum et minores ordines ab Ecclesia institutos propria auctoritate, tunc Papa pro libito posset horum collationem committere etiam non sacerdoti, sicut consecrationes alias que non sunt sacramenta. » — Hæc Petrus, et bene. — Sic ergo patet ad argumenta Durandi.

Ad argumentum pro questione respondet sanctus

Thomas, in praesenti distinctione, q. 3, art. 1, q^u 2, in solutione tertii, ubi sic dicit : « Quamvis Episcopus non habeat aliquem ordinem supra sacerdotem, secundum quod ordines distinguuntur per actus relatos ad corpus Domini verum; verumtamen habet aliquem ordinem supra sacerdotem, secundum quod ordines distinguuntur per actus supra corpus mysticum. Unde Dionysius, in *Ecclesiastica Hierarchia* (cap. 5), ponit Episcopatum ordinem. Unde et cum quadam consecratione (α) dignitas episcopalis (6) confertur. Et ideo, etiam in promotione membrorum corporis mystici, aliquid potest competere Episcopo, quod non competit simplici sacerdoti. » — Hæc ille.

Et hæc de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO VIII. ET IX.

QUÆSTIO I.

UTRUM FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ SIT CONVENIENS, SCILICET : HOC EST CORPUS MEUM, ET : HIC EST CALIX SANGUINIS MEI.

SIRCA octavam et nonam distinctiones 4. *Sententiarum*, queritur : Utrum forma sacramenti Eucharistie sit conveniens, scilicet: *Hoc est corpus meum*, et, *Hic est calix sanguinis mei*.

Et arguitur quod non. Quia forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti; unde sacramentum baptismi quandoque perficitur, solis verbis formæ prolatis, et omnibus aliis pretermisis. Si ergo predicta verba sint forma sacramenti hujus, videtur quod aliquando hoc sacramentum possit perfici, his solis verbis prolatis, et omnibus aliis pretermisis, que in Missa dicuntur; quod tamen videtur esse falsum: quia, ubi alia verba pretermitterentur, predicta verba aciperentur ex parte sacerdotis proferentis, in eñus corpus et sanguinem panis et vinum non convertuntur. Non ergo predicta verba sunt forma hujus sacramenti conveniens.

In oppositum arguitur. Quia Ambrosius dicit in libris *De sacramentis* (lib. 4, cap. 4), quod *consecratio fit verbis et sermonibus Domini Jesu*: nam

(α) *et ordine praeficiendorum*, cap. — *ordinandorum* Pr.
(6) *et*. — Om. Pr.

(α) a verbo *ponit usque ad consecrationem*, om. Pr.
(6) *episcopalis*. — Om. Pr.